17826
I Mag. St. Dr. P
Mat. komp.

Pieglowii Alberti Immortale sidus mortali-
tatis Serenissa. Caecilia Renata.

PANEG. et VITAE
Polon. 4°
№ 77.

V
B
3
C

IMMORTALE SIDVS

# MORTALITATIS.

SERENISSIMA

# CAECILIA

# RENATA.

POLONIÆ & SVECIÆ

# REGINA

Post Fata superstes.

*Auctore*

ALBERTO PIGŁOWSKI

*Illustrissimi & Reuerendissimi Dñi,*

# D. ANDREAE

DE SZOŁDRY

# SZOŁDRSKI

Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ

# EPISCOPI POSNANIENSIS,

*Domestico.*

POSNANIÆ,

In Officina Alberti Reguli, Anno Dñi 1644.

BIBLIOTH. UNIV. JAGELLONICAE

178265

ILLVSTRISSIMO DOMINO,

# D. LVCAE DE BNIN OPALINSKI

## SVPREMO REGNI POLONIÆ MARSCHALCO,

## LEZAYSCENSI, KOLENSI &c. &c. CAPITANEO.

*Domino Domino Clementissimo.*

Auctor perennem Felicitatem.

*Immortalitatem, quam post fata* SERENISSIMÆ CÆCILIÆ RENATÆ REGINÆ *Nostræ ominatus sum, daturus in lucem; quò sui securior esset, Tuæ gentilitiæ Rati consecraui Illustrissime Domine. Audacior videri poteram; nisi naufragium timuissem. Nemo tam exilis, quem altissima quæq; subire pudeat, modò sit securus. Vadosum pelagus est Fama: etiam blandiri sine periculo non potest; vt proinde magnæ prudentiæ negotium sit, eligere quibus nauigaturus adhæreas ne offendas. Equidē non deerat & mihi Nauis, quæ*

*præterueĉta Fortunæ ſcopulos; non tantùm ſui ſecura eſt, verùm & multis quotidie portum felicitatis oſtendit. Tuo tamen etiam Illuſtriſſime Domine, Patrocinio muniri volui; ne, ſi ſeorſim veſtras Rates adorarem, in Illuſtriſſimum Patronum meum iniurius eſſem. Vnum eſtis: adeoq́, ſi Amicorum Paria numeranda nunc forent, veſtrum certè Illuſtriſſimi Domini, quod æternitatis faſtis inſcriberetur, dignum eſſet. Credidére olim Ægiptij, Niliacâ ſuperari tempeſtate non potuiſſe, qui duplici Nauigio veheretur: quod ego ſortis iniquæ naufragium metuam, Tanto ſecurus Patrocinio? Nec dubito Illuſtriſſime Domine, gratum Tibi meum opus fore; quia illius prodit auſpicijs, quem in dimidium animæ Tuæ vocauiſti. Vnum opto: vt dum Tibi immortalitatem.* SERENISSIMÆ REGINÆ *Noſtræ inſcribo, immortalis & ipſe ſis; habeatq́ Tuæ virtutis æmulos Polonia, quos poſt ſera fata ſucceſſores numerauerit. Accipe igitur Illuſtriſſime Domine, primum hoc obſeruantiæ in Te meæ pignus. Nec dubita magnam tibi perennitatis portionem acceſſuram, ſi* CÆCILIAM RENATAM *poſt Fata Tuis auſpicijs tutatus fueris. In partem magnitudinis veniet, & Auctor: ſi fauore Tuo exilem eum eſſe non permiſeris.*

*Illuſtriſſimæ Dominationis Tuæ.*

*Seruitor humillimus*

*Albertus Pigłowſki.*

LVctuosum Ser^mæ. COECILIÆ RENATÆ REGINÆ Nostræ Fatum, cò grauiús Poloniam, adeoque Europam vniuersam concusit; quò minús tanti sideris occasum cogitauit. Quanquam enim morituri nascimur; & ipsum, quo viuere cœpimus momentum, grandis ad mortem passus fuit: diu tamen superstitem optabamus, cuius vel ipsum Nomen, Renascente in dies Regnum felicitate solabatur. Nulla fortuna calamitati imperuia; ipsa faustitatis omina, in ærumnas trahit; vnde blandita est, inuenit vt noceret. Saturnia nobis tempora gratulati sumus, cúm Austriacis reuinctus Tænijs ad immortalitatem floreret Manipulus noster; in tan-

tæ Serenitatis meridie, caliginosa nubes emersit, & ne ad culmē felicitatis pertingeret Polona Argo, eripuit Cynosuram. Sensit afflicta Nauis casum; sensissetque acriús, nisi sui gubernatoris Fortunam vexisset. Illam nulla vis tempestatis libauit, quæ tot terrarum diffusa spatijs, vel in ipsis, sanguinolenti Martis imbribus, secura suæ lucis, quám latè pertingit, aureum secum pacis nimbū trahit. Quanquam interrumpi paulisper debuit & Fortunæ cursus. Nulla beatitudo extra aleam est; atque vti dum serenus lucet, nubiū sibi sol materiem gignit; ita quidquid aduersi venit, messis est diuturnæ prosperitatis. Alterno gaudijs choro, miscentur & gemitùs. Tristissima nautis imminet procella, quò diuturnior mala. cia proluserit mari; non absimili quoq; ratione, quò pulchriori pace floresc̄ut eò grauiori deinceps casu quatiuntur & Regna. Quis tam subitam lunæ nostræ spe-

sperasset Eclipsim? quàm procliuè est, Orbem Polonum, auctum felicitate suâ, tanto se lumini opposuisse! Felicitatem appellem an infortunium? sed orbi subscribo; cui felices sumus, quòd in tantis Europæ cladibus, solis nobis licet impunè tot mortalium periculis frui. Itaque nihil accidit, quod obesse fortunæ nostræ posset. Solus ille moritur, qui vixit vt moreretur. Viuere cælo, immortalitati viuere est; nec quisquám viuere desijt, quem præclara virtus, æternitatis fastis inseruit. Cuius nunc lugemus obitum, Cælo Renata est Cæcilia. Renata inquam, & cum obijt, abijt vt meliús viueret. Vixerat hactenus nobis; sed & sibi: vt enim se maximè quis impendat alijs; prospicere, sibi ipsi primúm, necesse habet. Iam secura suæ felicitatis, vastum illum animum, quo cælum pro se lucrata est, immortalitati nostræ locabit. Quidquid accedet nobis, beatitatis illius habe-

habebimus portionem. Et sanè mori non poterat, cuius ipsum nasci, sortem mortalitatis excesit. Qui primus terrestrem incolam Deum, albâ panis obuolutum fasciâ, adorauit, immortales Austriacas reddidit Tænias Rudolphus. Tanti est pietate fundari potentiam, vt cùm inuidiarum procellas semper, ætatem nunquám ferre possit. Principum stirpem esse, fortuitum est, nec vltra æstimatur; sed quorum claritas quæsita scelere, nisi cruentam non gestauit purpuram. Illorum posteritas viuit æternitati, quos ad rerum humanarum, fastigium, inserta cælo virtus sublimauit. Creari fortes fortibus, protulit quispiam; quidni & immortalibus immortales? Id verò & crediderim faciliùs; fit enim plerumque, vt paterno Marti, filiorum succedat segnities, subeatque bellicosæ etiam stirpi, inertiæ dulcedo, & inuisa maioribus desidia sapiat posteritati. At sangui-

guinis claritatem, nulla vel temporis diuturnitas, vel otiosa quies ita imminuit, vt assueta lucere succedentem longo deinceps tractu sobolem non illustret. Quanti Imperatoris filiam extinctam putemus? satis ad immortalitatem erat nasci Diuo Ferdinando secundo, Augustissimi Parentis, verè Augusta Propago, non prius viuere, quàm immortalitati viuere debuit. Magnum id Principum onus est; vt Magnis nati nascantur ad Magna: quia tamen Austriacæ Magnitudini non insuetum; ideo Sereniss-mæ Reginæ Nostræ nihil fuisse faciliùs existimem, quàm splendorē Augustissimæ Domus ita circumferre, vt nunquàm extingueret. Serenitas sanguinis, arena virtutis fuit. Regnatricis Familiæ Decus in ipsis auxit incunabulis; dum illud, victimam litauit sanctitati. Nihil gratiùs cælo dare potuit, quàm quod illi rarum est; vt Principum domus, beatitatis ter-



restris

restris ara, supremo numini consecrentur. Hæreditarium id quidē Austriacæ pietati, suos soles, ad illam flectere meridiem; ideoq; gratiùs quòd genuinis Aquilæ Romanæ pullis, terrena lux, aspectum summi fulgoris non eripiat. Habet prosperitas noctem suam eripit mortalibus cælum; & in propria defixos felicitate, sui ipsorum vti spectatores efficit, sic amatores. Tantæ caligini subtrahere se magnæ mentis est, nec sui captiuæ. Nullus animo grauior carcer est, magnâ sorte: illâ nescire, vti, tanti est, quanti nescire & viuere: quem vel tantillùm rapuit, rarò non abripit. Quàm sæpè vel leuis aura maximos quosq; ventilat! syluarum folia crederes, nisi humano illis vultu blandita fuisset natura. Arduum virtutis negotium est, fortunam ferre posse. Rarus in hac officinâ magister; nec quisquam difficillimæ artis præcepta minùs percipit,

pit, quàm cui incumbit vt percipiat. maiorum tituli, ſplendores Auguſtæ Domus, Regia ſors, ſubditorum frequentia, adulantium plauſus, vbi virtuti frenos laxaueris, heu quàm cito tuâ te ſerenitate deturbanti Viues ſi mancipaueris hæc pietati: tibi illa ſi ſeruient, habebis quo perēnitati luceas; tanquam de tuis gratulabêre, ſi in tantum ea diſpenſaueris, quantùm tu habere poſsis, quo læteris: poſteritas quod prædicet. Debuerat ſtirpe tali naſci, quæ præteruecta Fortunam, ſuas Tænias aptauit in vela, eò ſui ſplendoris latura nauigium, vnde terrena deſpicere poſſet Illic tantum ſidus oſtendi par erat, vnde multis eſſet ſpectabile. Obſcura virtus ſibi ſoli prodeſt; ab alto gratiùs micat. Nulla magni ſtatùs felicitas maior, quàm quod plurimos virtuti lucrari poſsit: Atque vti latiùs patent vitia, quæ vel tituli illuſtrant, vel opes, ita

vbi hæc ſanctitati mancipaueris, triumphales illi addidiſti rotas, quibus latè inuecta, ſua in iura mundum pertrahat vniuerſum. Heroum ſtirpes non prius naſci, quàm ſapere, protulit non nemo. Ita eſt; ſed vbi acres illos natiuæ indolis impetus, fortunæ ſoli mancipauerint, ſibi ipſis, ſuoque dominio perniciem ſtruunt. Animo vigorem magnæ mentis donare, rari ſpiritûs indicium eſt, nec tamen inſuetum. Vidiſſes in Auguſtâ Domo, Heroinam noſtram oblitam ſui, ſolùm illud ſpectare, cui deberet, quod eſſet. Vidiſſes titulorum agmine comitatam Ancillam Cæli; & quò pulchriùs æternitati luceret, inter Auguſtales delicias, ſibi ipſi Deum lucranti violentam. Rubuerunt virginali pudore parietes; intra penetralia vernabat, quæ prænobili deinceps Poloniam prole fæcundaret. Nuſquàm teneræ prin-

principum ætati venustior purpura; nec alibi præstantior, quàm illic, vbi luxus merces esse solet, manantis perenni cursu Prosperitatis. Gratulatum est sibi tantum sidus Imperium; illius fulgore, sperabat immortalitatem; sed vlteriori cælo promotum est, quò longiùs radiorum suorum acumine penetraret. Nimirum complementum ornamenti sui Polona desiderauit Aquila, quam diu tæniatum suo pectore non gestasset Manipulum. An quia sibi renascituras tot Heroinas crediderat in Renatâ? An quia cursui suo magnum sperauit adiumentum, si latè volantes fascias adderet alis suis? Viam tandem votis inuenit: Imperij sidus, accepit in lunam suo soli; Regum sanguinem, Reginam salutauit; iteratoque Triumphali Vladislai Quarti Nomine, fecit immortalem. Iam quidquid fortunatissimi Nominis Rex lucratus est sibi,

redundabit in eam quoque, cui in diademate suo animum, & felicitatem communicauit. Sacro-sancta Connubij lex est: vnum esse; Ita sanciuit ille, cuius imperio, ad naturam initiati, quidquid præcipit adoramus. Et: si vtriusque fortunæ comes est, qui coniux est; quàm erit immortalis, quæ tantæ felicitatis particeps fuit. Æternitatis imperium struere se gloriatus est ille, qui ter à se Iani templum apertum, toties clauserat. Quantum nobis molitur æuum Augustus Noster, qui cum clausisset apertum, nondum aperuit clausum. Ipsi nos in spem perennitatis assurgimus, tot licet interuallis à nostro sole disiti, quid de illâ putabimus, quam tanti luminis fidissimam comitem agnouimus?. Iam verò ipsa Reginalis Maiestatis dignitas, tantùm illi ad vitam profuit, quantúm alijs obest, ne viuant. Sub diademate fatiscunt nonnulli, ipsoq; capitis pondere ad terram

preſsi, terminalem præfigunt menti columnam, non plùs vltra quàm quò ſe iam ſuſtulit ituræ: ita regnum adepti ſeruorum conditionem non exuunt; nullum enim grauiùs pati iugũ, libera mẽs poteſt, quàm illic teneri, vnde non emergere, interire eſt poſteritati. Nec refert, aureæ ſint, an ferreæ compedes; etiam affligunt grauiùs, quò venuſtiores apparent in ſpeciem. Auro ligatus fortiſsimus Perſarum Rex, libertatem amiſit; & qui ferro vinci vix poterat, in ludibrium Regiæ ſortis, onuſtus auro iugum ſubiit Alexandri. Non abſimili ratione, qui Regnum ambitione adminiſtrant, tum, cùm ſe dominos omnium arbitrantur, fortunæ ſeſe ſuæ mancipant, tanto turpiori ſeruitio, quantò conuenientiùs erat, ſcire prius præeſſe ſibi, quàm regimen gererent aliorum. Tantùm aberat Diua Heroina Noſtra, ab hac Regnantûm pernicie, quantum abeſſe ſolent

solent, quos Regius sanguis, ipsâ nascendi sorte destinauit Imperio; ab ijs qui obscura stirpe geniti, vbi Dominium nanciscuntur, inassueti fulgoris perstricti claritudine, licere sibi putant omnia, quia eò sublimati sunt, vnde omnes infra se arbitrantur. In Regali fastigio, nihil minùs quæsiuit quàm fastum. Principem & Dominam se gerere cùm posset, matris nomen elegit. Ita pulchro nexu, Maiestatem coniunxit Amori; effecitq; vt veriùs possideret, quod minùs ambiebat. Habere Regnum parum est, nisi homines habeas. Flexibiles, quamcunque in partem ducimur à Principe, cui chari & probati esse cupimus. Id verò minimè subditi possunt, nisi ei, quem tam supra se, quàm pro se esse nouerunt, & cùm adorant vt Principem, diligunt vt Patrem. Infidelis recti magister est metus. Nunquam efficere potest, quod exprimit reuerentia; illamque ipsam amore

amore non timore parari neceſſe eſt. Principum domus nundinæ ſunt: laborioſiſsimum illic negotiationis genus exercetur. Mercari fauores, venari gratiam, ſectari dignitates, ita emi velle ab omnibus, vt tamen venunderis nulli, ita vendi, vt emptorem ſe tui nemo glorietur; quantus quàm operoſus eſt labor?. Nullas hic niſi virtutis nundinas agnouimus. Nemo adulatione; nemo inuidiâ mercari aliquid potuit; nulli obices, nulli contumeliarum gradûs, tantum horum omnium ſilentium, tam altus pudor, vt Regia domus paruis quoque laribus, norma quietis & modeſtiæ eſſet. Quid de liberalitate dicam? magnis hic impenſis conſtitit indigentia. Nulla altior cura, nulla cogitatio frequentior, quàm intercedere caſibus, occurſare fortunæ alienæ. Rectè ſanè: nullum enim maius magnæ mentis, immorta-

litatemque merituræ vestigium est, quàm suas opes ijs impendere, quos vel fortunæ malignitas afflixit, vel spontanea viuendi conditio, quò arctius Deo adstringeret; facultatibus spoliauit. Religiosas dico familias, illas præsertim, quibus vnica sese sustentandi ratio est, bonus Princeps. Illis parum habuit prouidere de suo, nisi & fundasset. Magnam sibi sobolem molita est, cùm eorum fundatrix, esse voluit, quos qui primus altissimi montis fundauit in vertice, constructi tanti ædificij præmium accepit, vt mori adhuc non possit. Neque absimilè creditu est, igneis hanc quoque rotis elatam in sublimè, quæ cæleſtibus assueta flammis, diu terram ferre non potuit. Aram inopiæ, in Opulentiæ sinu spectabat Polonia: iamque securior augusta sors erat, quia diu sibi eam pollicebatur felicitatem, vt asylum haberet, ad quod se-

cura

cura ſupplicium paupertatis euadere poſſet. Deniqúe ſi magnæ virtutis indicium eſt, latere non poſſe; erupit hinc etiam, & quò ſe altiùs effunderet, Clarum montem elegit. illam cæleſtis in Poloniam fauoris arcem, vehiculum gratiarum, quaſſatæ multorum ſalutis, bonæ ſpei, promontorium, peritiſsima nauigij ſui gubernatrix, ſubire toties voluit, vt ſtellæ, ſui noſtriqúe maris, litaret. Quàm bona ſpes, tantæ ſupplici, tam mitem ad fuiſſe patronam! illudqúe quatuor & viginti horarum ſpatium, quo non interrupto, ad aras tantæ matris demorata eſt (quaſi præſaga fati, iamqúe viſura facie ad faciem vltimum nobili Ænigmati valedicens) in meſſem æternitatis ſeminatum. I nunc & immortalem nega, tanto ſuffultam Patrocinio. Nemo præſtantiùs moritur, quàm qui vixit altrici vitæ; Mori illa quenquàm non ſuſtinet, quæ maternitatis accepit præ-

mium, vt mori non posſit, qui ſit ſuus. Longum iter emenſus quondam eſt vnius alimoniâ panis vatum ardentiſsimus. Hanc ſuo pane fretam auſpicatam æternitatem non crediderim? ſuo inquam; Auſtriacus enim Panis eſt; Panis vitæ. Hâc victorioſum nomen creuit Annonâ. Inde traxit alueum fluuius, qui Europam rigaret vniuerſam. Tantùm fructificat hæc ſeges, vbi ſui capacem fundum inuenerit? Prouidit fami ſuæ, quæ tantis impenſis, Frumentum electorum, aut venerata eſt, aut collegit. Vt veneraretur, hæreditario iure acceperat; vt etiam colligeret, propriæ habuit pietatis. Venerari non ſatis eſt, niſi & aſſerues. Vbi verò tam inſigni muneri carioſum dediſti receptaculum, amiſiſti quod habueras. Nuſquàm habitat meliùs, quàm in candidâ mente; illam exornaſti, ſi profanari non ſinis: præſtabit alimentum tibi, quo viuas æternitati, ſi tu, te ipſum non

non ſubtraxeris hoſpiti tanto, prædamq́; vitijs non dederis, quem virtute nuper ad ſpolium tui ipſius ineſcaſti. Gratulare tibi Polonia, quòd eò tantis refertam Panibus onerariam tuam præmiſiſti, vnde noſtræ fami conſulere poteſt meliùs, quàm ſi inter fluctuantis vitæ tot turbines adhuc vadoſum hoc mare ſulcaſſet. Extra inopiæ caſum es; tua nauis, cæleſtis agni vellus aureum portat? Habebis & diuitias vnde opſonium tantùm ſperaueras; & quod maius eſt, ſecurè vtere; ſemper inuenies vnde ſumas. Deſponſat nobilis natio ſui Principis annulo, ſibi quotannis mare. Quantæ noſtræ felicitatis eſt gemmam hanc cælo inſeruiſſe! illa ſubarrhatum, nunquam nobis deerit; tanquam debitam Regno repetemus illinc Pietatem & Fidem; vt nulla vis tempeſtatis, nulla peruerſi Dogmatis aſtutia, illam hic inducat famem, quam vicinæ nationes nimiùm expertæ,

discunt malo suo, quantum ad perpetuitatem alimentum, cæleſtem hunc Panem amisêre. Imperium dederat Fratri; Regna filio Auguſtiſsimi nominis Imperator Carolus V. illud inquam Immortale Sidus Mortalitatis. Nec tamen priuatum ſentire ſe poterat; tanquam in Fratre & Prole perpetuò dominaretur. Credamus nunc de mortuam & nos? cui ad Auguſtum Fratrem, & Regiam Prolem, immortale nomen accedit Vladislaus? Et ſane ſi orientem ſolem noſtrum ſpectare pauliſper velimus, flere non poterimus eam, quam in Cariſsimo Pignore ſuperſtitem agnoſcimus. Nihil ampliùs Poloniæ ſuæ dare potuit, quàm cùm viuam illi ſui reliquit imaginem. Non ampliùs prodeſſe debuit, quàm vt per eam, Patriæ noſtræ Patrem, immortalem agnoſceremus. Hoc vnum omnium deſiderium fuerat, precari ſibi perrennem Vladislaum.

Iſtud

Istud felicitatis Polonæ fundamentum fuit; hic apex. Iam secura sui, tanquam in portu fixisset stationem, illud vnicum vouet, vt inæstimabile pignus, paternis seruetur auspiciis, & in spem Tanto genitore dignam adolescat. Gemuêre nuper sub nauibus Polonis maria, dum per tot littorum tractûs Iagiellonici scintillam sanguinis Diuum Sigismundum III. quærerent; Fortunæ nunc litamus, quòd tanto labore partum decus, illibatâ nobis felicitate conseruat. Eligere posse principes felicitatis est; maioris habere quem eligas. Adorauit fortunam nostram Orbis vniuersus, cùm immortalitati inserto Diuo Sigismundo III. habuit in quem reclinaret spes suas Diuum Vladislaum. Corruisset Polonus orbis, nisi in extincti Atlantis subsidium, Alcides hic humeros suppositisset. Felicem diem illum,

qui

qui vota noſtra laſſari non permiſit; deſiderandum Regem, quòd in clariſsima ſobole proſpexit ne deſideraretur. Cito naufragium ſubit reſpublica, quæ in eligendo principe fluctuat. Quoties & nos caſus hic, ſi non alliſit, at afflixit certè; ſanguineum etiam aliquando ſubiimus mare, dum huc illuc vadum quærimus tranaturi. Quieſcet tandem hoc infortunium, dum in arena libertatis, habebitur meta, quæ petatur. Tam fida ſtatione naufragus erit nemo. Et, ſi deſiderijs, vt armis olim, ornari poſſunt trophæa, nuſquam vel rutilabunt venuſtiùs, vel tutiùs locabuntur. Illuſtrant cælum ſidera, nec ea ſpectare quiſquam poteſt, niſi quibus inhærent, videantur & orbes: Tantum in Europa ſidus, in quantum fatis fauentibus, excreſcet Auguſta proles: cui innatum eſt, non illuminabit & cælum? Quidquid Sereniſsimus Sigiſmundus Caſimirus erit.

erit

erit & Cæcilia. Recordabuntur tantæ parentis Filium quotquot ſuæ fortunæ arbitrum prædicabunt. Tam latè creſcentis Arboris, quicunque ſalutarem vmbram experientur & fructum, iam non fabuloſa altrici terræ figent oſcula, & dicent: Latet hoc cortice mater. Diuitem ſe ſuis iactabat filijs quondam præ nobilis matrona; quam opulentam crediderim, quæ in Regio pignore Regnum peperit poſteritati & Coronam. Feciſſet vtinam ille cuius nutu ſola terrarum gubernantur, vt tantæ Heroinæ fœcunditate vberiori gloriaremur! addidiſſet alas noſtræ felicitati, &, ſi vnius fulgore ſcintillæ plaudimus, quantum auxiſſet ſerenitatis, ſtellarum eiuſmodi propagatio? ſed inutile eſt accuſare fata: fecit vt voluit, cui nemo dicere poteſt quare ſic feciſti? Reſtat de tam inſigni munere, gratum cælo deuouere pectus, nec alio vota diſtrahere, præterquam vt benigno

fauore, hoc ipsum quod accepimus, tutetur. augeat, seruet. Iam verò vt vnde manauit, eò reuertatur oratio. Viuit Serenissima Renata Cæcilia post fata superstes: viuit, inquam, in amoris animato orbe, in animis gratæ posteritatis; viuit Austriaco nomine, Serenissimo Coniuge, virtutibus, deniqúe Regiâ prole. Talis vita magnam sortem post fata decet. Erigere statuas, ornare mausolæa, victorias numerare, pulchrum est; sed ijs qui honoris hoc genus virtute nobili meruêre. Cælo dicauit olim Claudium Nero, quò turpiùs irrideret. Ita sanè: nemo meliùs de immerito, iocari potest, quàm dum honorat. Laudandus, ne morderi te sentias, habere te prius necesse est, vnde lauderis. Parum est dici, nisi & sis. Nemo magnus in ore hominum insedit, qui non prius in se talis esset, vera magnitudo, nihil ad ostentu-

ſtentationem, omnia ad conſcientiam refert; rectèq; factorum, non ex populi ſermone mercedem, ſed ex factis petit. Nulla pulchrior iactantia S. eſt, quàm ſilentio gloriari. Loquuntur præclarè geſta pro ſuis, atque adeò pro ſe ipſis Obliuioni donantur, qui non æternitati vixêre. Tantæ Heroinæ ſublime decus, vltra fata aſſurget, nec vlla diuturnitas extinguet, Viuet quæ cælum auxit igne ſuo. Itaque deponamus mærorem, & in calamitatis parte Diuæ Renatæ Cæciliæ felicitatem numerare, religioni ducamus. Fauebit Regno ſuo, quæ licet mutauit cælum, animum nobis in cariſsimo pignore reliquit obſidem. Cæterùm ſaluo Cæſare, calamitoſum eſſe non potuiſſe ſeruum Cæſaris, nobilis quondam protulit Philoſophus; nos affligi poſſe putabimus Poloniam incolumi Vladislao? Quidquid fortunæ licet, arcebit hic murus.

rus. Vtinam, Fortunatissime Rex, annis nostris Immortalitatem Tibi lucrari possemus, quàm illos ipsos, tantæ Patriæ nostræ felicitati, quantam Te agnoscit, donaremus! Nunc quoniam fatis agimur, nec vlla fors eorum vicem euadere potest, omnium par votum esto, vnâ cum Augustâ prole diuturna salus & incolumitatis

VLADISLAI.

BIBLIOTH. UNIV.
JAGELLONICAE